

nis parvâ colligitur in cornuâ. Et sarmen<sup>t</sup>a quoque in mer-  
ce sunt. Amputatio ipsa surculusquè venit intra quintum de-  
mum annum. Xylobalsamum vocatur & coquitur in unguen-  
tis. Præcipua gratia lacrymæ est, secunda semini, tertia cortici, mini-  
ma ligno.

§. IX. In ordinem ut redigamus negotium, describe-  
mus eum Dn. D. Döringio balsamum; arbusculam viticosam, al-  
titudine ligustri vel cytisi, foliis paucissimis, ruta proximis, colore  
ex viridi & albicante misto, perpetim virentibus, ramulis longis  
gracilibusq, moderatæ crassitatæ, gummosis, digito pertinaciter ad-  
hærescentibus & flore albo, exiguo quidem, sed summè odorato con-  
stantem. Arbuscula quod dici queat, ex eo claret, quoniam  
extra Arabiam etiam, ipsius proceritas *intra tria* ( Plin. bina  
solummodo definit ) *cubita subsistat*; in Arabiâ verò, ad Cytisi  
Therebinthi altitudinem vel paulò altius assurgat, teste, apud  
Alpinum, Abdellâ. Turpiter autem *Justinus* erravit, qui Piceæ  
arbori, Balsamum assimilavit. Viticosam esse, ramuli vitiosi ac  
sarmenosí, & vitium more tonsiles quotannis, probant. Si quis  
proximè ejus describere foliâ velit, *amaracum* cogitet. Verè  
enim Pausanias: *balsamum foliis Amaracinis esse*, scripsit; sed  
hæc tamen non de illis balsami intelligenda seminibus sunt, quæ  
bina folia viti non absimilia habent, verùm quæ post hæc, tria,  
quatuor vel quinque, sine ordine protrudunt. Variat nimi-  
rum pro ætate, foliorum & numerus & habitudo. Series folio-  
rum illa ferè, quæ in rosis, fraxino, nuce & similibus deprehen-  
ditur arboribus. D. Döringius scribit: *Extimam alam sine pari  
occupat folium, cæteris grandius: ab hoc reliqua sequuntur, nervo  
utrinque insistentia, sensim minutiora, ut in ruta.*

§. X. Liquor ipse Balsamæus, Therebinthinæ instar fla-  
vus, fragrantissimique, sed tamen ob spirituositatem citò exha-  
lantis est odoris, saporis subamari; sudans ex arbusculæ tum  
fruticibus, juxta corticem, leviter convulneratis, tum ex ramu-  
sculis amputatis. Inter olea universa nobilissimum, totoque  
decantatum orbe: utpote quod vires habeat abigendis morbis  
tâm internis quam externis, nulli secundas medicamini. Vulne-  
ribus, febricitantibus, phtisicis, asthmaticis & quibus non aliis  
sive morbis sive morbidis medetur? *Conf. Schröder in Pharm.  
med. Chym. lib. 4. class. 2. p. 185. Guttula aquæ tepidæ si immitatur,*  
*per*